

66  
FABER FOR-  
TUNÆ.  
*sive*  
DISPUTATIO MORALIS  
*De*  
AMBITU VITÆ,

AUXILIO SUMMI!

Et venia FACULT. PHILOS. Aboënsis,  
SUB PRÆSIDIO,  
Maxime Reverendi Domini,

M. ISAACI Bihlman/

Eloq. Rom. Profess. Ord.

Pro Titulo Magistri adipiscendo,  
Candido Philosophantium censuræ submittenda

S. R. M. Alumno  
ALBERTO SPENSENIO,

Aboënsi,

Anno 1707 die 11. Maji, in Aud. Max.  
loco borisque solitis.

---

Exc. Jo. WAL.

*Joh. Lind. Wal.*

684.

VIRO

Officii Dignitate & Amplitudine, nec non  
Prudentia laude per celebri,

DN. H A N S FLOOR,

CAMERARIO per Ditiones, Hel-  
singforsensem & Tavastburgensem  
dexterimo, Mæcenati & Pa-  
trono submisse co-  
lendo.

ANNO S ET MITIA FATA!



Devotissima beneficiorum  
Tuorum, SPECTATISSIME  
DN. CAMERARIE, me-  
memoria animum expugnavit, ut  
inclito Tuo Nomi hunc FOR-  
TUNÆ FABRUM consecrarem;  
benignitas Tua ab omnibus satis  
de-

decantata hanc excussit dedicato-  
riam. Itaque, licet non in nuce  
*Iliada*, nec *Hecatombem*, nec *Monstrum*  
ex Africa, nec *Aromata* ex Asia, nec  
*Aurum* ex America, Tuis meritis  
respondentia porrigere mea tenui-  
tas possit: Submisse tamen oro &  
obtestor, ut ne hoc exiguum Tibi  
sordeat munus, sed benignissime  
respicias humilimum dantis ani-  
mum, qui cum calidissimo omni-  
genæ prosperitatis voto usque est  
& erit.

SPECTATISSIMI DN. CAMERARI,

Cultor devotissimus

Alb. Spensarius.

666.  
In  
Virtute & Doctrina  
Clarissimum  
PHILOSOPHIÆ CANDIDATUM,  
DN. ALBERTUM  
SPENSENIUM,  
Amicum & Fautorem In-  
tegerrimum,  
Quum  
FORTUNÆ suæ FABRUM solerter  
defenderet.



uem singis FABRUM, FORTUNÆ,  
dulcis Amice,  
Fortunam eja! Tibi fabricat il-  
le Novam.

Hæc Tua processus habeat Fortuna per-  
ennes,  
Adspiret votis usque secunda Tuis!

Festina manu lubens  
ludebat  
JOH. NEELMAN.

66  

# S. I.

**N**ovum quidem & insolitum  
quoddam argumentum tra-  
nsandum mihi suscipere videor,  
dum brevissimis explicare co-  
nor, qua ratione quisq; fortu-  
nae suæ fieri possit, quæ  
tamen doctrina, cum satis sit ardua, subactum  
ingenium prolixumque requireret laborem.  
Non etiam leviora sunt aut pauciora, quæ ad  
fortunam comparandam requiruntur, quam  
quæ ad virtutem: resque est æque difficilis ac  
severa, fieri vere politicum, ac verè moralem.  
Cum vero hujus materiæ pertractatio non mi-  
nimum faciat ad literarum deçus: honoris  
enim carum cum primis interest, ut cunctis  
pateat, eruditionem haudquam aviculæ,  
qualis est alauda, similem esse, quæ in sub-  
limi ferri & cantillando se oblectare soleat,  
sed potius imitari accipitrem, qui in alto vo-  
lare, ac subinde, cum visum fuerit, descen-  
dere & prædam rapere novit, digna sane est  
fortuna, quatenus virtutis ac benemerendi or-  
ganum est, sua speculatione & doctrina, in qua  
re brevitas nesciam cum temporis nimis arcti,

A

tum

tum rei domesticæ admodum angusta ratio,  
ingenique immaturitas ut apud bonos quoq;  
excusabit, submissi sumus oratores, confi-  
dentes ut humanitas eorum nos faciat ex  
oratores.

§. II. In ipso statim limine includimus  
hanc doctrinam certis præceptis sive regulis  
quæ quidem circa moritatem & sui ipsius & alio-  
rum in primis versantur. Nunquam cum aliis  
recte conversabitur, qui se ipsum non satis ex-  
ploraverit, quod ut difficultatis plenissimum  
est, ita, ne hac in parte nos ipsos fallamus,  
omni studio providendum est. Quippe cum  
oraculum illud, *noscere se ipsum*, non tantum  
sit canon prudentiæ universalis, sed & in po-  
liticis præcipuum habeat locum; frequenti ita-  
que speculatione opus est, quomodo alicui ho-  
mini, moribusque & naturæ suæ cum tempo-  
ribus conveniat. Quæ si inventa fuerint con-  
grua, omnibus in rebus magis solute & libere  
agere, & suo niti ingenio licebit: at si aliqua  
sit antipathia, cum demum in universo vitæ  
cursu magis caute & recte est incedendum,  
minusque in publico versandum. Idem in ar-  
tana sua studiorum methodo cap. 14. diligen-  
tissime inculcavit Alexander Ficherus, quem  
inter alia studiorum mysteria etiam hoc propo-  
nere citat Morhof. in Polyhist. lib. I. cap. 15.

Quæ

Qui non habet facultatem orationis extemporaneas, quam in Oratore exigit Quintilianus, ille conversatione crebra debet abstinere, aut domo paratas afferre in medium materias, quod etiam illi praestant, qui pedanea in exercitibus valent eloquentia: satius tamen est, ut pulpeo & rostris contenti sint, ne decrescant, atque ipsis minores esse videantur. Ceterum nunquam in publicum prodeat disputatus, peroratus, aut aliud quidpiam praestiturus, nisi paratus eximie, & ad concordiam admis- rationem instructissimus. Vel unica minus ornata minusque comta disputatio hominem capite minuit & fama: omnium autem maxime elaborata sit oportet, que prima est, quia ab ea successus & opinio pendet.

S. III. Cum autem omnis inter duos minimum conversatio vertatur, quorum alterius vitæ ratio comparata ita esse debet, ut gratiae aliorum capax esse possit, ne quid sit, quod animos avertat, sed quod alliciat, & in favorem nostrum rapere videatur. Hinc non solum virtutibus omnibus instructus esse debet, qui proborum familiaritatem querit; sed illos in se naturæ instans ita temperabit, ut nemini molestus, omnibus suavis deprehendatur. Omnes ergo inge- niorum morbos & defectus illum prius explo- ratoe habere oportet, ne sua culpa impingat;

Ex sicubi in aliis deprehendat, moderatius ferat,  
quisque bonis obviam ire rationibus in se ipso  
discat. Ingeniorum ut vultuum variae sunt fi-  
guræ, quæ, nisi frœnis coērceantur, ac judi-  
cii censura in ordines redigantur, in sylve-  
strem abeunt naturam, ut arbores sibi relictæ,  
si cultura nulla accesserit. Hic vero in seipso  
descendere debent omnes, seque ipsos explora-  
re, ex stoicorum sententia, quali genio utantur.  
Præcipuum hic in sui ignorantia erratum est,  
si ingenii nostri vires vel defectus non recte ex-  
pendamus, si nimis nostri fiducia viribus ma-  
jora aut incongrua affectemus, si non in certo  
vitæ instieuto acquiescamus: ut si jam decre-  
tum non sit de genere vitæ, maxime apicum &  
ingenio nostro congruum sumamus: si vero  
jam pridem id genus vitæ, ad quod minus à  
natura facti sumus, fuerimus ingressi, sub pri-  
ma occasione nos subducamus, & novam ar-  
ripiamus conditionem.

§. IV. Est sane quidem magna ingenii vis,  
si singulares quosdam instinctus, quos natura  
nobis inseminavit, sequamur. Illa quibusdam  
intelligentiæ ampliudo est, ut nihil tam ex-  
cellum & eximum sit, quo non pertingat. Sed  
rara admodum in illa felicitate constantia est:  
nam vel male subductas vitæ rationes habent,  
vel in scopulum aliquem ex improviso impin-

guere

gunt ingeniosi homines, qui illos fortunis co-  
 mibus evertet, aut per totam vitam miseros  
 reddet. Nisi itaque prudentia ad clavum inge-  
 nii sedeat, μετέωρα omnia erunt & evanida.  
 Aliqui, qui ineptæ *Polymathiae* morbo labo-  
 rant, in sylvas & horrida tesqua dilapsi, sem-  
 per in labyrinthis hærebunt, nunquam in viam  
 Λεωφόρον, nunquam ad metam pervenient: si-  
 miles illis, qui ingurgitando negotium quidem  
 ventriculo faciliunt, nihil vero in succum san-  
 guinemque convertunt. Aliqui ad abstrusa &  
 recondita feruntur magno quidem conatu, sed  
 robore impari, in quibus postea fatiscunt & he-  
 betantur. Alii nimis vasta moliuntur, de qui-  
 bus illud Horatianum dici poterit: *Conantur*  
*tenues grandia, cælum ipsum stultitia perire,*  
 cum vel ipso animi, vel fortunæ pondere in-  
 terram deprimantur, aut Phaëtonteo suppicio  
 insanas spes luant. Nulla est tetrior ingenii pe-  
 stis, quam philautia vitiosa: illa in omnes ver-  
 tigines & scopulos abripit, ac ipsum exitium  
 struet. Etsi enim honesta sui fiducia non im-  
 probanda est, neque sine illa quicquam præ-  
 elati suscipi potest: esse tamen in illa modus  
 debet, & ne infinite vagetur, coercenda est.

§. V. Non incommode, omne studiis incum-  
 bentium genus, cum tribus comparaverimus,  
 Fucis nimirum, Crabronibus, Apibus, Fuci

sunt homines ignava opera, compilatores vel  
dolosi vel inepti, vani scientiarum ostentatores,  
agyretæ, aetalogi. Crabrones sunt feroculi illi,  
qui, ut docti videantur, aliis insultant; cum-  
que obesse nulla re possint, strepitus canum  
molesti sunt. Apes sunt, qui illad doctrinæ &  
sapientiæ mel e variis floribus congeruat, &  
bonæ famæ fragantia orbem eruditum impletat.  
Hic se ergo ipsum quis examinet, an inter fucos  
& crabrones, an vero inter apes locum habeat.

**S. VI.** Ut autem speculatio in sui ipsius no-  
ticia sit accurata, specula intuebimur duplicitis.  
*Speculum Divinum*, in quo nos concueri oportet,  
est verbum DEI; *speculum vero Politicum*  
nihil aliud est, quam *status verum & tempore-  
rum*, in quo vivimus. Examen igitur accura-  
tum, nec quale esse solet sui nimium amantis,  
instituendum est homini de propriis facultati-  
bus, viribus & adminiculis, nec non de defe-  
cibus, inhabilitatibus & obstaculis: ita ratio-  
nem subducendo, ut hæc perpetuo in majus,  
illa autem minoris potius, quam revera sunt,  
testimentur.

**S. VII.** De notitia nostri ipsorum hac ra-  
tione instruti, non minorem adhibebimus di-  
ligentiam, ut & que de aliis, ac nobis ipsis, vere  
informemur: nam qui se ipsum recte explora-  
verit, & ad lydium lapidem virtutum & decori  
exami-

examinaverit, rectius de aliis judicare poterit.  
 Si vero perfectam aliorum notitiam habere ve-  
 limus, necesse est ut pro virili procuremus no-  
 bis illam fenestram, quam olim requisivit Mo-  
 mus: Ille cum in humani cordis fabrica tot  
 angulos & recessus conspicatus esset, id repre-  
 hendit, quod defuisset fenestra, per quam in  
 obscuros & tortuosos illos anfractus inspicere  
 quis posset. Hanc autem fenestram obtinebi-  
 mus, si omni sedulitate nobis comparemus in-  
 formationem de personis, quibus cum vivimus,  
 deque earum ingeniis, cupiditatibus, moribus,  
 institutis & normis, quas sibi præscriperunt.  
 Nec tamen sufficit notitia personarum, sed sci-  
 entiam etiam actionum particularium habebi-  
 mus, quomodo nimirum regantur & succe-  
 dent, quorum studiis soveantur, & à quibus  
 oppugnentur, cujusque sint ponderis & mo-  
 menti. Præsentes etenim actiones nosse pluri-  
 mum prodest, cum alioquin personarum noti-  
 tia valde futura sit fallax & erronea. Mutau-  
 tur enim homines cum actionibus, ita ut alii  
 sint, dum actionibus ipsis implicantur & ob-  
 edentur, & alii, postquam redierint ad ingenium.

**S. VIII.** Potest autem notitia hominum op-  
 prime elici & hauriri primo per dulces & ora  
 ipsorum, ubi nihil nos movebit verus adagium:  
*frenie nulla fides.* Quanquam enim hoc ipsum  
non

non inique dictum sit de vultus & gestus com-  
 positione externa & generali: sublunc tamen  
 subtiliores quidam motus & labores oculorum,  
 oris, vultus & gestus, ex quibus reseratur &  
 patet ( ut eleganter ait Cicero ) *janna quedam*  
*animi.* Quo hæc pertinent? nimicum ut in-  
 telligamus, vitia animi in aperatum per flexus,  
 hirquos, stationes oculorum aut exire aut fal-  
 lere: neminem facile esse, qui non suum prodi-  
 torem secum in facie circumferat: multum in-  
 teresse, utatur aliquis oculo connivo an aper-  
 to? obliquo an recto intenso an remisso?  
 moecho an casto? *κόρης* an *πέρας* gerente?  
 minaci an amico? sereno an turbido? eminen-  
 ti an latenti? distorto an consorto? Histro-  
 niam ludat facies, ac lynceos etiam oculos ali-  
 quando fallat: tamen, quia sibi semper non  
 constat, eque scena domum aliquando repetit,  
 ansas statim porrigit, quibus indeprehensa alias  
 ac abstrusa mentis adulta manerent. Lubet ipsum  
 veritatis solem, quem dicere falsum nemo au-  
 deat, Dominum ac Servatorem nostrum in te-  
 stimoniū adducere, quo nemo fuit in ge-  
 stibus hominum notandis circumspectior, in  
 investigandis moribus oculatior, in aestiman-  
 dis iisdem accuratior; ille hypocritas *σκυθρω-*  
*περ* appellat, Mat. 6. 16, quibus verbis graphicis

Depingit frontis nubeculam hominum ambitio.  
se tristium, nequitor saltem animi imperu lasci-  
vorum. Confer. Beas. D. Danbar. lib. Con-  
scienc. p. m. 201. ubi satis prelixe & merpose de  
bac re differit.

**s. IX.** Deinde per verba ipsorum, quæ, li-  
cer quam callide simulentur & studiose occul-  
tentur, cor & pectus produnt, moresque aper-  
te depingunt. Quippe haud facile reperiuntur  
simulationis artifex aliquis tam peritus & egre-  
gius, qui à sermone artificioso & simulatorio  
istas possit sejungere notas, quin aut sermo sic  
solito solutior, aut magis vagus & oberrans,  
aut magis aridus & quasi claudens. Optime  
autem tales mereeris fuci deprehenduntur duo-  
bus modis, cum scilicet proferuntur verba aus-  
ex improviso aut in perturbatione. Evidens cer-  
te est testis ipsa experientia, paucos admodum  
inveniri, qui erga arcana sua tam fidi sint,  
animusque gerant adeo obscuratum, quin  
interdum ex iracundia, interdum ex jaestantia,  
interdum ex intima erga amicum benevolentia,  
interdum ex animi imbecillitate, interdum de-  
mique ex alio quopiam affectu, intimas mentis  
cogitationes revelent & communicent. Ut au-  
tem sapientes ab idiotis dignoscantur, atten-  
denda est sermonis temperatio, sapiens enim  
quidam interrogatus, numquid properat igno-

rantiam taceret? respondit: ignorantium proprium esse, tacere non posse. Hinc sapientia γνῶστος esse dicitur, stultitiam silentio posse regere, ille namque sat scit, qui tacere scit.

§. X. Porro per facta & opera ipsorum, quae humani animi pignora sunt certissima, ita ut non indiligens rerum estimator divinare possit, tale homini esse ingenium, qualibus vacet laboribus. Ea tamen cautio habenda est, ut ne proorsus eis fidamus, nisi diligenter ac attente prius pensetur eorum magnitudo & proprietas, cum illud quis haud facile inficiabitur: *fraus sibi in parvis fidem præstruit, ut majore emolumento fallat.* Etenim officiis istis minoribus homines redduntur oscitantes & quasi consopiti, tam ad cautionem, quam ad industriam; atque recte à Demosthene appellantur *alimenta societatis*. Proprietatem autem & naturam non nullorum factorum, etiam quæ beneficiis annumerantur, subdolam esse & ambiguum, cernere licet in primis in iis, qui græca fide fucatas gerunt amicitias, praesentes mutuis servientes commodis, ast absentes alii aliorum molientes interitum. Et sunt quidam ex istis personatis, qui ejusmodi utuntur verbis, quæ foris quidem laudum quasi tegmine velata apparent, intrinsecus vero plena sunt vituperii & irrisiois. Ac illi ipsi sunt, qui, ut est in proverbiis

proverbio, mel in ore, novacula sub cingulo gerunt.

S. XI. Certissima autem clavis ad animos hominum referandos, vertitur in rimandis & pernoscendis vel ingeniis & naturis ipsorum, vel finibus & intentionibus. Atque imbecilliores certe & simpliciores ex ingeniis; prudenteres vero & rectiores ex finibus suis optime judicantur. Etsi in villis, suburbis & agris respicere licet nonnullos, qui quanquam procul à Gratiis & Musis vivunt, & caput spissis ac rigidis capillis cooperatum gerunt, nihilominus subtilli prædicti sunt ingenio, & cum verbis tum etiam judicio splendent: attamen cum præposterae sint pietatis, multaque absurdia faciant, capiendam esse conjecturam de iis auctu-mo potius ex propensionibus ingeniorum, quam ex destinationibus finium. At illi qui Socratice pectore ad omnes res cauti sunt, cunctaque alto circumspiciunt animo, præsentia primum ingeniose perscrutantes, futura deinde callide prospicientes; siquidem secundum sententiam Terentii, istuc est sapere, non quod ante pedes modo est videre, sed etiam illa, que futura sunt, prospicere. Itaque non in uiole carent, ne quid committant, cujus eos postmodum poeniteat. Hi cum in omnibus suis actionibus ad certum collineant scopum finemque respi-

ciant, instar viatoris, qui intente proficiscitur ad aliquam itineris metam, ubi consistat; non male praesagire quis poterit, quid facturi sint, aut non facturi.

**S. XII.** Nec contemnenda est, si accuratam velimus acquirere hominum notitiam, aliorum de iis relatio. Licet vulgus adeo leve sit in suis opinionibus & judiciis, ut nihil tam beneficiat, quin diversimode id accipiat perverseque interpreteretur; unde Epicurus: Nunquam placere volui populo, quoniam ea, que ego scio, illi non laudant, & que illi laudant, ego nescio; etiamen aliqua ejus est habenda ratio, quid populus dicat. Defectus autem & vitia optime explorari possunt ab inimicis; virtutes & facultates ab amicis: Mores & tempora disciqueunt a famulis; opiniones & meditationes ab intimis familiaribus, cum quibus frequentius colloquia miscentur. Fama popularis incerta est, tam fæsi pravique tenax, quam nuncia veri & superiorum judicia incerta; etenim cotam illis testiores incedunt homines; verior fama e domesticis emanat.

**S. XIII.** Notitia sui ipsius & aliorum, cetera in fortunæ archeiatura satis utili, jam breviter explicitata, occurruunt præcepta alias in ambitu vite probe observanda. Horum primum est, ut pieraci ante omnia studeamus; quemadmo<sup>dum</sup>

dum enim pietas ad omnia utilis est, diversa  
promissione hujus & futuræ vitæ, adeo ut &  
præstet non esse natum, quam non esse pietatis  
instruclum atque exornatum munere: ita  
Politicos quam maxime decet, ut ipsi tanquam  
omnium rerum primum sibi habeant com-  
mendatissimum, DEUM, tanquam inexhau-  
sum omnium bonorum fontem, devote reve-  
teri, religiosissime colere, ardentissimeque di-  
ligere, denique secundum normam Scripturæ  
sacrae, tanquam statuam Mercurialem infalli-  
bilem, omne universæ vitæ actionumque sin-  
gularum iter canonice dirigere. Hæc virtus, si  
perniciosissimis Pseudo - Politicorum regulis a  
genuino pietatis tramite se non dimoveri pa-  
tientur, non minimum eos commendabit, ita  
ut DEO optime placeant, intaminata gaudeant  
conscientia, favoremque hominum sibi tuto  
polliceri, gratiam superiorum ac propensio-  
rem benevolentiam captare possint. Quan-  
quam autem in perdita illa proh dolor! inci-  
dimus tempora, quibus more corruptissimo &  
perversissimo vitia sub virtutum sapientia hono-  
zantur, & virtutes, veluti horrenda monstra,  
multi detestantur, amantque nitore extero vi-  
deri boni, etiamsi cor ipsorum sceleribus sit  
genitus deditum: attamen, ut Politici rebus  
suis optime consulant, erunt solliciti, ut

cœlestem hanc pietatem habent sibi commen-  
datissimam, secundumque illam, ceu regulam  
haud obliquam, omnes suas actiones exami-  
nent, ne quid committant, quod fidem in  
DEUM & caritatem proximi violet. vid. Fab:  
Fort. Christ. Bessels mon. I.

§.XIV. Secundū præceptum est ut faber fortuna  
amissi sua perire utatur, eamq; rite applicet, i.e.  
enimum assuefaciat, ut rerum omnium pretium  
& valorem estimet, prout ad fortunam & fines  
suos magis aut minus conducant, hocque curet  
sedulo, non perfunditorie. Mira res, sed verissi-  
ma; inveniuntur enim perplurimi, qui de re-  
rum consequentiis firmiter judicant, de pretiis  
vero imperitissimi. Hinc sit, ut alii privata &  
secreta cum Principibus colloquia; alii auras  
populares, tanquam magna adepti, admicen-  
tur, cum sit utrumque s̄penumero res & in-  
vidia & periculo plena: alii autem res metiun-  
tur ex difficultate & opera sue in eis impensa,  
fieri oportere existimantes, ut quantum mo-  
verint, tantum etiam promoveantur. Hinc  
etiam illud accedit, ut homines s̄pius se ipsos  
fallant, qui si Magni alicujus aut Honorati  
Viri opera utantur, sibi omnia prospera pro-  
mittunt; cum illud tamen verum sit, non  
grandissima quæque instrumenta, sed aptissima  
citius & felicius opus quodque perficere.

§. XV. At ad veram animi Mathematicam  
 informandam, operæ pretium est, id in primis  
 nesse, quid ad eujusque fortunam constituen-  
 dam & promovendam statui debeat. Primo  
 loco emendatio animi ponenda est; an enim  
 impedimenta & nodos tollendo & compla-  
 nando, citius viam fortunæ suæ quis detexerit,  
 quam fortunæ auxilio animi impedimenta su-  
 stulerit. Secundo loco recensendæ sunt opes &  
pecunia, cuius quidem ad omnia magnus est  
 usus, non tamen concedere possumus præci-  
 puos esse fortunæ nervos, sed potius animi vi-  
 tes, ingenium, constantiam, moderationem,  
 industriam & similia. Tertium locum sibi vin-  
 dicat fama & existimatio, quod illæ æstus  
 quosdam habent & tempora, quibus si non  
 oportune utamur, difficile erit in integrum  
 restituere; ardua namque res, famam præcipi-  
 tantem retrovertere. Postremo loco ponendi  
 sunt honores, ad quos facilior certe aditus per  
 unumquodque ex illis tribus, multo magis per  
 omnia conjuncta datur. quam si ab honoribus  
 quis auspicari velit, & deinde ad reliqua perge-  
 re. Verum ut in ordine eorum servando haud  
 parum est momenti: ita non multo minus in  
 servando temporis ordine, cuius perturbatione  
 frequentissime peccatur, dum ad fines tum pro-  
 peratur, quum initia essent curanda; atque  
 tum

682

10 \* 16 \* 07

tum ad maxima quæque subito advolamus,  
quæ in medio posita sunt, temere transilientes.

S. XVI. Tertium præceptum est, ut in  
ambitu vita honestatem vultu, verbis & fa-  
cio exprimamus; nihil enim magis allicit ani-  
mos, quam bona mens, quæ per se virtute sua,  
quasi quodam magnetismo, trahitur. Qui ver-  
suti sunt, callidi simulatores, tricatores, litium  
seminatores, quorum vitæ genus in istis versa-  
tur rebus, quæ multum fallaciæ conjunctum  
habent, eos suspectos plerumque habemus, cum  
semper ab illis insidias metuamus. Præterea  
homines omnes ad fucum & speciem compon-  
fici, ad quæstam intenti, pessimæ vitæ & mo-  
rum, abalienant a se omnium bonorum ho-  
minum animos, quibus accensendi sunt *Athei*,  
qui cum DEUM non venerantur, nihil in hu-  
manis sanctum habebunt, atque ab omni con-  
versatione merito removendi sunt, sive licet  
*crassi*, vel *subtiles*, vel *subtilissimi*. Pietas vero  
& honestas contra hominum favorem excitant,  
& amplissima sæpe beneficia etiam ab ignotis  
extorquent. Honestas autem illa non ex facilis  
cautum, sed ex ipso etiam vultu, gestu & verbis  
elucere debet: ex his enim statim de animo ju-  
dicatur. Auctor est Ælian, L. 3. var. hist. Pla-  
tonem notasse cavillationem & irrisione  
quandam in vultu Aristotelis, unde eum ad  
impus,

impudenteriam natum censuit. Eam *vultus honestatem* vel ab Oratore suo Rhetores requirunt, tenu Cic. L. 2. de Orat. id exponit: *Ad conciliandam benevolentiam bac adjuvante in Oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas.* Expertum est solo nonnunquam aspectu persuadisse Oratorem: Habitac enim in vultu animus, qui si bonus ac honestus est, radios ex ipsa illa vultus compositione spargit, qui se aliorum animis ingerunt. Quidni ergo in conversatione mutua idem fieri possit, ubi mutuis modestisque colloquiis animi ipsi inter se coëunt & miscentur. Omnis enim, ut Cic. L. 3. de Orat. *mores animi suum quendam à natura vultum haberet, & sonum & gestum: totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut à more animi sunt pulsae.*

S. XVII. Quartum præcepium est, ut *Viros Magnos & doctrina illustres veneremur*, quod non de vivis tantum, sed & de mortuis intelligi volumus. Infelicissimi ingeñii signum est, si quis viros, totius orbis eruditum & multorum seculorum suffragio probatos, suo judicio de famæ possessione deturbare velit. Sunt, qui, ut famam aliquam aucepuntur, magnis & illustribus Viris bellum indicant, Gigantum fraterculi, vel posius Pygmæi. Hujusmodi homines

euendi aversantur, licet interdum eruditio nem non damnent, perpetuaque infamiae macula etiam post fata illos comitatur. Præterea non magnæ tantum arrogantiæ ac malitiæ hoc signum est, sed & incitiae: solent enim plerumque tales homines præcipiti aliquo judicio ferri, cum accurate non legerint & expenderent omnia, ac si tamen censura mordacius uti, perficta honeste sustinent. Quod si idem faciant in vivis, ceu non pauci nimis curiosi ardentes hoc tempore faciunt, pro fœnore omnium inimicitias reportabunt; omnes enim talis viri conspectum, velut ad rabidæ feræ occursum, horrent, & cane & angue pejus vitant, metuentes, cum nemini parcat, infestissimas ab illo maledicentissimo injurias.

S. XVIII. Quintum Axioma est, ut ostentatores modesti simus; non enim pars est prudenteræ prærogativa, si quis arte quadam & de core specimen sui apud alios exhiberi possit, virtutes suas, merita, atque fortunam etiam (quoad sine arrogantia & fastidio fieri possit) commode ostentando; contra vitia, defectus, infortunia & dedecora artificiose occultando; illis immorans atque veluti ad lumen obver tens; his subterfugia querens, aut apte ea interpretando eluens. Indiget certe res hæc arte quadam, ne tedium patiat & contemptum.

Quem-

Quemadmodum superbia & fastus nos ab aliis  
sejungit, ut consortium nostrum fugiant: ita  
cum nimis abjecte de nobis sentimus, per no-  
stram negligentiam ab aliis quoque negligi-  
murus; quare non adeo improbanda est decora  
ostentatio, sed quæ ab omni jactantia, ab ine-  
ptiis remota ac plena modestia sit. Quod si fa-  
mam expertus faventem fueris, eamque sis pre-  
meritus, non tuo tantum, sed & virorum bo-  
norum judicio, secundum Horatii sententiam,  
*quæ sit am meritis sume superbiam;* est enim  
honesta quædam philautia, quæ in licita sui  
fiducia consistit. Magna vero famæ in allicien-  
dis animis prærogativa est; famam igitur non  
tantum honeste aucupari licet, sed & modeste  
ostentare. Quod si igitur ista, de qua loqui-  
mur, *sui ostentatio decenter & cum judicio re-*  
*gatur,* adeo ut quis se laudibus ita honester,  
ut simul etiam censuris & jocis erga se non  
abstineat, aut si quis hoc faciat non sponte, sed  
tanquam lacesitus, & aliorum insolentiis at-  
que contumeliis provocatus, non parvum certe  
hæc res cumulum existimationi hominis adjicier.

S. XIX. Verum hujusmodi *virtutis ostenta-*  
*tionem*, utcunque aliquis infirmiore judicio &  
Ethicus fortasse nimium improbaverit: Illud  
tamen nemo negaverit, dandam saltem esse ope-  
ram, ut virtus per incuriam justo suo pretio

non fraudetur, & minoris, quam revera est,  
 estimetur. At defectuum sedula occultatio mi-  
 noris haudquam momenti est, quam vir-  
 tutum prudens & artificio ostentatio. Sit ita-  
 que Axioma sexum, ut defectus nostros abscon-  
damus. Ut ille Politicus omnium optimus est,  
 qui imprudentiae suæ errores regere novit; ita  
 ille vir eruditus præ ceteris habebitur, qui de-  
 defectus suos callidius celare novit. Tres autem  
 defectuum latebræ optimæ constitui possunt:  
 quarum prima est *Cautio*, quando iis rebus  
 prudenter abstinemus, quibus pares non sumus:  
 ubi contra ingenia audacula se omnibus rebus  
 sine judicio ingerunt, & proinde defectus suos  
 proprios publicant, & quasi proclamant, pru-  
 dentiorumque risu se exposunt. Secunda est  
*Pretextus*, cum sagaciter & prudenter viam  
 nobis sternimus & munimus, qua commoda  
 & benigna de vitiis & defectibus nostris fiat  
 interpretatio, quasi aliunde provenientibus, aut  
 alio tendentibus, quam vulgo estimatur. Ter-  
 tia est *Confidentia*, quam Illustrissimus Comes  
 Baco de Verulamio lib. 8. de augm. scient. vo-  
 cat impudens certe remedium, sed ramen cer-  
 tissimum atque efficacissimum, cum nimicum  
 illa decenter atque caute, quoad quidem ho-  
 nestatis ratio permiserit, nos contemnere at-  
 que vilipendere proficemur, quæ revera assequi

non possumus: ut mercatores, qui suas merces, licet ignobiliores, extollunt, aliorum pretium immiuunt. Idem docet nos Ficherus in *arcana sua studiorum methodo* C. 14. cuius verba Morhof. in *Polyhist.* loc. ante cit. sic refert:  
*Defectus majori studio racendi sunt. Etsi enim fasces pra modestia summittendi sunt, prodenda etiam non sunt apud alios, que videntur nocitura: noticiam enim defectuum illico fama malum velocissimum, cœnura spargit linguis; ac ut sunt ita comparati à natura morales, ut curiositate gestiunt ea cognoscendi, magna famam crudelitatem excipiunt, magnaque despiciencia noratos prosequuntur & contemnu. Neque ergo memoria defectus, nec difficultas componendi, nec studendi molestia, nec capieatur oculorum imbecillitas, nec ingenii tenuitas in medium est proferenda. Consequitur ergo ex his, quoniam opinionem bonam immiuat defectum impudens revelatio, oportunam eorundem occultationem fortunæ fabro esse pernecessariam.*

*S. XX. Septimum præceptum est, ut non laude, sive tempestiva illa videri possit, sive intempestiva, sive merita, sive immerita, effervamus, ante omnia animi submissionem seu modestiam servantes, cogitantesq; laudem istam*

nostram non esse, sed vel amici fallo aut justo  
 prolixius laudantis, aut blandentis, vel solius  
 DEI, laudis materiam conferentis. Animo sic  
 ad modestiam serio ac sincere revocato, con-  
 sultum est, laudem averso ac submisso vultu  
 tacite declinare, aut laudantem his & aliis ver-  
 bis decenter interpellare: *Parce queso, nec au-*  
*dio nec intelligo quid dicas;* *Alium fortasse*  
*tua respicit taudatio, non me laude indignum.*  
 Erras circa personam: lauda queso, si quem  
 videris laude dignorem; esto saltim mibi tua  
 laudatio juste reprehensionis loco. *Quid joca-*  
*res nunc mea causa, novi, quid mihi desit;*  
*urisque nostrum quid desit, perpende & desig-*  
*eier materia laudis. Tuos in veri rectique stu-*  
*dio progressus oportet esse admodum exiguos,*  
*si defectus meos in utroque non perspicies.* Si  
 laudare perrexeris, me oportebit hinc paulisper  
 discedere. *DEI gratiam, non me efferae lau-*  
*dibus.* *Quin haec modestia & verecunda lau-*  
*dum recusatio gratiam apud omnes inest, nul-*  
*lum est dubium.*

S. XXI. O stavum præceptum est, ut eave-  
amus ne animi quadam magnitudine ad magis-  
ardua, quam par est feramur, neve in adver-  
suum fluvii remigemus. Optimum enim consil-  
 ium circa fortunas hominum hoc est: Fatis  
accede Deisque. Circumspiciendum itaque est  
 in

ia omnes partes, & observandum, qua res pa-  
 teant, qua clausæ & obstructæ sint, qua procli-  
 ves, qua arduæ, neque viribus nostris, ubi com-  
 modus non patet aditus, abutamur. Nihil rei  
 nimis peremptorie nos adstringamus, quan-  
 quam casui videatur primo intuitu minus ob-  
 noxia, sed semper habeamus, vel fenestram  
 apertam ad evolandum, vel posticum aliquod  
 secretum ad redeundum. Hoc si fecerimus, &  
 a repulsa nos præstabimus immunes; & in ne-  
 gotiis singulis nimis diu non hærebimus, &  
 moderationis laudem reportabimus, & pau-  
 ciores offendemus, & deniq; felicitatis opinio-  
 nem adquiremus: dum quæ sponte fortasse even-  
 tura suillent, nostræ industriæ accepta ferentur.  
 Requieret quidem hæc materia, utpote am-  
 plissima, pluribus exponi præceptis; sed cum  
 temporis angustia manum e tabula detrahere  
 jubeat, plura non addo. Coronidis loco tan-  
 tum id statuimus, quod fortuna etiam absque  
 tanto, quantum diximus, molimine parari pos-  
 sit; probe enim novimus, eas tanquam sponte  
 in gremium querundam defluere: alii autem  
 eam diligentia sola & assiduitate ( cauzione  
 nonnulla aspera ) absque arte multa aut ope-  
 rosa adipiscuntur: verum ea fuit intentio no-  
 stra, ut statueremus fortuna fabro in ambie-  
 nte communiter huic itineri esse insitendum;

nec tamen eo dementia vel potius arrogancia  
 devenimus, ut Politici, quos pro statu hic sin-  
 gulos veneramur, regulas præscriberemus: sed  
 ut simplici monstraremus crena, qua arte jam  
 hoc tempore fortuna fabricari & adquiri so-  
 leat, quod tamen in nullius præjudicium dicere  
 volumus, saltem secundum materiæ conditiones  
 paucissimis explicare. De cætero absit, ut  
 à fabro nostro fortunæ excludamus provi-  
dentiam divinam, quæ omnia gubernat,  
 regit & ad bonos dirigit fines, ab ea enim  
 provenit fortuna & infortunium. Nec For-  
 tunam cœcam gentilium Deam veneramur, sed  
 DEO O. M. omnem felicitatem nostram, or-  
 nium actionum nostrorum iustitia, successus  
 & fines adscribimus, illiusq; nomini san-  
 ctissimo Sempiternam damus  
 gloriam!



fidem disperbi nos legi lœ  
 9 d. Novembris 1725.